

hibita dici latria, nisi improprie, vel metaphorice: unde latria non dicitur univoce de cultu Dei veri, & de idolatria.

Ad primum ergo dicendum, quod materia quæ includitur in ratione speciei, bene diversificat speciem, & impedit univocationem, sicut patet in exemplo posito de curvitate nasi: & ita est in proposito.

Ad secundum dicendum, quod hoc nomen *beatitudo* significat aliquid propter quod omnia alia sunt eligenda, & ipsum propter se tantum eligatur, omnis boni sufficientiam habens, sine hoc quod concernat aliquam materiam: & ideo semper remanet habitudo univoce dicta, quamvis in diversis rebus quærat. Sed non est sic in proposito: quia nomen latriæ materiam concernit.

Ad tertium dicendum, quod cum dicitur, quod idolatria sit cultus Deo debitus idolo exhibitus, hoc quod dicitur: Idolo exhibitus, diminuit de ratione præcedentis: unde non sequitur. Ergo est latria: sicut aratio dicitur scissio quæ debetur terræ; si quis autem vomere scindit aquam, illa scissio est terræ debita, non tamen dicitur aratio nisi æquivoce.

ARTICULUS III.

Utrum latria debeat Deo ratione potentiae, an sapientiae, an bonitatis.

1. **A**d tertium sic proceditur. Videtur quod latria debeat Deo ratione potentiae. Servitus enim dominium respicit. Sed Deus dicitur Dominus propter potentiam coercendi subditam creaturam, ut dicit Boetius (de Trinit. cap. xi.) Cum igitur latria sit servitus, videtur quod debeat Deo ratione potentiae.

2. Item. Videtur quod ratione sapientiae. Debetur enim Deo latria in quantum est Deus. Sed Deus secundum Damascenum (de Fide Lib. III. cap. 111.) dicitur ex hoc quod omnia videt, quod ad sapientiam pertinet. Ergo videtur quod debeat ei latria ratione sapientiae.

3. Item. Videtur quod ratione bonitatis. Quia latriam ei exhibemus, in quantum ab ipso sumus. Sed quia bonus est, sumus, ut dicit Augustinus (Lib. I. de Doctrina christ. cap. xxxii.) Ergo latria debetur ei ratione bonitatis.

QUÆSTIUNCULA II.

1. Ulterius. Videtur quod alia latria debeat Patri, & alia Filio. Latriam enim dirigit fides. Sed fides alium articulum habet de Patre, & alium de Filio. Ergo alia latria est utrique exhibenda.

2. Præterea. Honor, ut dictum est, debetur personæ agentis. Sed Pater, & Filius sunt duæ personæ. Ergo duplex honor eis debetur.

3. Præterea. Humanitati Christi exhibetur unus honor qui & Verbo. Sed non potest hoc intelligi, ut videtur, ratione naturæ: quia naturæ distinctæ sunt. Ergo intelligitur ratione personæ. Sed alia est persona Patris, alia Filii. Ergo & alius honor debetur utrisque.

Sed contra. Remota distinctione personarum, adhuc debetur Deo latria. Ergo debetur ei ratione naturæ. Sed natura est una. Ergo latria est una.

QUÆSTIUNCULA III.

1. Ulterius. Videtur quod non debeat Deo exhiberi

(1) Nicolai addit scilicet.

ri latria secundum aliquos corporales ritus. Sicut enim dicit Apostolus ad Galat. iv. homines in veteri lege sub elementis hujus mundi servientes, erant quasi pueri sub pædagogo positi. Sed, sicut ipse dicit, veniente plenitudine temporis, jam non sumus sub pædagogo. Ergo non debemus Deo latriam exhibere secundum corporales ritus.

2. Præterea. Joan. iv. 24. dicitur: *Spiritus est Deus: & eos qui adorant eum, in spiritu, & veritate oportet adorare.* Ergo non oportet quod eum adoremus corporalibus actibus, vel genuflectendo, vel cantando.

3. Præterea. Deus ubique est. Ergo non magis debemus ad orientem adorare quam ad aliam partem.

Sed contra. Nos & spiritum, & corpus habemus à Deo. Sed secundum hoc quod ab eo sumus, eum adoramus. Ergo & spiritualiter, & corporaliter eum debemus adorare.

SOLUTIO I.

Respondeo dicendum ad primam quæstionem, quod latria profiteretur servitutum quam debemus Deo, quia facit nos: unde debetur sibi latria in quantum creator, secundum quod ipse est finis, & origo prima nostri esse: & hoc est quod dicit Glossa super illud Psalm. vii. *Domine Deus meus, in te speravi:* „(1) Deus per creationem, cui latria debetur.“ Et quia ipse creator est, in quantum bonus, sapiens, & potens, & secundum omnia hujusmodi; ideo ratione omnium debetur sibi latria, & non secundum unum horum tantum.

Unde patet responsio ad objecta.

SOLUTIO II.

Ad secundam quæstionem dicendum, quod quia Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus sunt unus creator; ideo debetur eis una latria; cum Deo debeat latria, in quantum creator.

Ad primum ergo dicendum, quod fides debetur Deo, in quantum est res cogitabilis: & quia quæcumque secundum rem distinguuntur, possunt seorsum cogitari, sed non convertitur; ideo tres personæ, quæ sunt tres res diversæ, diversos fidei articulos habent; sed omnes tres personæ sunt unus creator: unde & una latria eis debetur.

Ad secundum dicendum, quod natura divina est per se subsistens, etiam circumscriptis personis distinctis, quas fides supponit: unde agere competit ei, & circumscripta distinctione personarum, & per consequens latria.

Ad tertium dicendum, quod quamvis duæ naturæ sint distinctæ secundum se, tamen sunt unitæ in persona: & quia unus honor debetur divinæ naturæ, & personæ; ideo per consequens unus honor debetur divinæ naturæ, & humanæ, cui debetur unus honor qui & personæ divinæ.

SOLUTIO III.

Ad tertiam quæstionem dicendum, quod in nobis est triplex bonum, scilicet spirituale, corporale, & extrinsecum: & quia hæc omnia in nobis à Deo sunt, ideo secundum omnia debemus Deo latriam exhibere: & secundum spiritum exhibemus ei debitam dilectionem; secundum corpus postrationes, & cantus; secundum exteriora autem, sacrificia, luminaria,

ria, & hujusmodi: quæ Deo non propter ejus indigentiam exhibemus, sed in recognitionem quod omnia ab ipso habemus; & sicut eum ex omnibus recognoscimus, ita etiam eum ex omnibus honoramus.

Ad primum ergo dicendum, quod corporalia erant in veteri lege pure corporalia, quia gratiam non continebant; erant tamen signa spiritualium: sed corporalia quæ nos Deo exhibemus, non sunt pure corporalia; sed sunt sacramenta continentia gratiam, & sacramentalia. Unde non est simile de nova, & veteri observantia.

Ad secundum dicendum, quod quamvis Deus sit spiritus, est tamen creator corporis: & ideo principaliter ei in spiritu servire debemus, secundario autem etiam in corpore: & ideo etiam vocaliter oramus, ut sibi non solum spiritus, sed etiam lingua carnis obsequatur, ut & nos ipsos, & alios ad laudem Dei excitemus.

Ad tertium dicendum, quod quamvis Deus ubique sit, tamen institutum est ab Ecclesia ut sacrificium Missæ ei offeratur versus orientem propter tria. Primo propter significationem: quia à Deo est nobis mentis illuminatio, sicut lumen corporale ab oriente. Secundo quia est nobilior pars orbis; & omne quod est nobilior apud nos, Deo debemus. Tertio propter opera quædam notabilia ipsius in oriente: quia ipse movet cælum, cujus motus ab oriente incipit; ipse etiam paradisum in oriente constituit; ipse etiam ab oriente ad judicium veniet, sicut ad orientem ascendit.

QUÆSTIO II.

Deinde quæritur de dulia: & circa hoc quærentur tria.

Primo. Quid sit.

Secundo. Utrum habeat diversas species.

Tertio. Cui debeat.

ARTICULUS I.

Utrum dulia, & dulia sint idem.

2. 2. quæst. ciii. art. 3.

1. **A**d primum sic proceditur. Videtur quod dulia sit idem quod latria. Deo enim non debetur nisi unus honor. Sed debetur ei dulia, & latria, sicut dicit Glossa super illud Psalm. vii. *Domine Deus meus in te speravi.* „Domine omnium per potentiam, cui debetur dulia: Deus omnium per creationem, cui debetur latria.“ Ergo dulia, & latria sunt idem.

2. Præterea. Eadem virtus charitatis est qua diligitur Deus, & proximus. Sed latria honoratur Deus, dulia proximus. Ergo est eadem virtus.

3. Præterea. Differentia secundum materiam non diversificat speciem, ut dicitur X. Metaph. text. xxiv. Sed honor qui debetur Deo, & proximo, non differunt nisi secundum materiam. Ergo non sunt diversi in specie; & sic idem quod prius.

4. Præterea. Magis, & minus non diversificant speciem. Ergo quamvis sit Deus magis honorandus quam proximus, non propter hoc sunt diversæ species.

Sed contra. Sapientia, & scientia sunt diversa dona: quia unum est de æternis, alterum de temporalibus. Ergo simili ratione latria, & dulia sunt diversæ virtutes.

Præterea. Habitus distinguuntur per actus, & actus per objecta. Sed dulia, & latria habent diversa objecta. Ergo sunt diversæ virtutes.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod honor debetur alicui ratione excellentiæ quæ in ipso est. Non est autem unius rationis excellentia divina, & humana: & ideo non est honor unius rationis. Unde oportet quod latria, & dulia differant specie.

Ad primum ergo dicendum, quod dulia, quantum ad proprietatem vocabuli, dicit servitutem communiter, cuicumque debeat: & quia Deo debetur honor, vel servitus secundum modum perfectionis; ideo nomen duliæ commune contrahitur, & quodammodo appropriatur ad honorem creaturæ, quia non addit aliquam differentiam ad dignitatem pertinentem supra commune, sicut nomen proprium trahitur ad conversum accidentale; conversum autem essenziale proprio nomine dicitur diffinitio. Et quia in Deo est omnis ratio honoris qui invenitur in creatura, sed non convertitur; ideo latria debetur sibi secundum id quod est sibi proprium; dulia autem secundum id quod est commune sibi, & creaturæ per analogiam.

Ad secundum dicendum, quod objectum charitatis, cum sit virtus theologica, est bonitas divina, quæ eadem est, sive in se, sive in altero consideretur: & ideo dilectio Dei, & proximi ad unam virtutem pertinent. Sed honor exhibetur excellentiæ absolute, quæ non est unius rationis in Deo, & creaturis, sed variatur.

Ad tertium dicendum, quod hæc non est tantum materialis differentia, sed formalis: quia alia ratio reverentiæ, & honoris invenitur in Deo, & in homine: & ideo causatur diversitas secundum speciem.

Ad quartum dicendum, quod magis, & minus non causant diversitatem secundum speciem, sed aliquando consequuntur eam, quando scilicet magis, & minus causantur ex diversitate eorum quæ speciem diversificant.

ARTICULUS II.

Utrum dulia habeat diversas species.

2. 2. quæst. ciii. art. 4.

1. **A**d secundum sic proceditur. Videtur quod dulia non habeat diversas species. Dulia enim dividitur contra latriam. Sed latria non dividitur per species. Ergo nec dulia.

2. Præterea. Dulia attendit bonitatem, vel excellentiam creatam. Sed hoc invenitur in omnibus communiter quibus debetur dulia. Ergo non habet diversas species.

3. Præterea. Sicut dulia respicit debitum honoris, ita obedientia debitum præcepti. Sed obedientia non differt specie secundum diversos quibus debetur. Ergo nec dulia.

4. Præterea. Cum dulia debeat diversis secundum infinitos gradus excellentiæ, si secundum diversos quibus debetur, species diversas haberet, essent infinitæ species duliæ. Sed hoc est impossibile. Ergo dulia non habet plures species.

Sed contra. Dulia debetur Deo, & creaturæ, ut ex dictis art. 1. patet. Sed non est eadem ratio honoris in utroque. Ergo est ibi diversa species duliæ.

Præ-

Prætere. Dulia exhibetur rebus inanimatis, sicut cruci, & reliquiis, & etiam hominibus. Sed in his non potest esse una ratio honoris. Ergo dulia habet diversas species.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod habitus diversificantur per actus, & actus per objecta: unde ubi invenitur diversa ratio objecti, oportet quod sint actus, & habitus specie differentes. Cum ergo honor debeat alicui ratione excellentiæ quam habet, & non sit ejusdem rationis excellentiæ in diversis; ideo oportet quod sit alia ratio honoris, & alia (1) virtus secundum speciem, quæ diversos honores exhibet: non enim idem honor debetur patri, regi, & magistro, & sic de aliis, ut dicit Philosophus in IX. Ethic. cap. 11. Inter omnes autem alias rationes excellentiæ illa est præcipua qua creatura honoratur ratione unionis ad Creatorem, sicut humanitas Christi, & quæ ad ipsam pertinent: & ideo speciali nomine hyperdulia nominatur, quasi (2) superdulia ad latriam accedens.

Ad primum ergo dicendum, quod excellentia Creatoris est unius rationis: & ideo latria, quæ hoc attendit, est una tantum. Nec est simile de dulia, cum in creaturis sint diversæ rationes excellentiæ.

Ad secundum dicendum, quod excellentia creata non est unius rationis in specie, licet sit una secundum genus: & ideo etiam dulia per species dividitur.

Ad tertium dicendum, quod obedientia respicit dominium, secundum hoc quod servus est quasi instrumentum domini, & movetur ad imperium ejus. Sed dulia non considerat rationem unam excellentiæ tantum, sed omnes.

Ad quartum dicendum, quod gradus excellentiæ possunt accipi dupliciter: vel secundum quantitatem tantum; & sic sunt infiniti, & non diversificant speciem duliæ: vel secundum rationem; & sic diversificant, & non sunt infiniti.

ARTICULUS III.

Utrum peccatores debeant honorari dulia.

1. AD tertium sic proceditur. Videtur quod peccatores non debeant honorari dulia. Honor enim duliæ, ut dicit Philosophus in I. Ethic. cap. xii. est reverentia exhibita alicui in testimonium virtutis. Sed peccatores, etiam prælati, non habent virtutem. Ergo qui eos honorant, falsum testimonium perhibent, quod est peccatum.

2. Prætere. Gregorius in Pastor. Part. I. cap. 11. dicit, quod in exemplum culpa vehementer extenditur, quando pro reverentia ordinis peccator honoratur. Hoc autem fieri non debet ut in exemplum culpa trahatur. Ergo neque prælatus peccator debet honorari.

3. Prætere. Subditus bonus magis est Deo similis quam prælatus malus. Sed honor non exhibetur homini, nisi in quantum habet Dei similitudinem: quia rebus divinis tantum debetur honor, ut dicit Philosophus I. Ethic. cap. xii. Ergo minus honorandus est prælatus malus quam subditus bonus.

4. Sed contra est quod Abraham honoravit peccatores habitantes in Sichen, quando voluit emere speluncam duplicem.

(1) Al. virtutis. (2) Al. super duliam.

5. Item. Videtur quod dæmonibus dulia debeat exhiberi. Quia in eis manet divina imago: quia bona naturalia eis data manent lucidissima, ut dicit Dionysius de Div. Nom. cap. iv. Sed ratione imaginis, homini dulia exhibetur. Ergo & dæmoni est exhibenda.

6. Item. Videtur quod irrationabilibus. Quia in eis est vestigium, quod est similitudo Dei, sicut imago, etsi non adeo expressa. Magis autem, & minus non diversificant speciem. Ergo debetur eis dulia.

7. Sed contra. Videtur quod nec etiam hominibus bonis. Quia dulia servitus est. Sed non omnibus bonis hominibus servitute debemus. Ergo nec duliam.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod dulia reverentiam, & honorem importat quæ creaturæ exhiberi potest. Cum autem honor, ut dicit Philosophus, I. Ethic. cap. xii. non debeat nisi rebus divinis, non debetur proprie, & directe nisi habenti gratiam, & virtutem quæ divinos facit. Sed habet aliquis virtutem multipliciter: vel sicut actu virtuosus; & huic directe debetur, & proprie, & secundum se honor: vel sicut habens aptitudinem naturalem ad virtutem; & sic cuilibet habenti imaginem est exhibendus honor; nisi sit confirmatus in malo, quia ligatus est in illo ordine ad virtutem: vel sicut ordinatus ad inducendum, vel conservandum virtutem; & sic debetur omnibus prælatis, qui ad hoc ordinati sunt ut alios dirigant in virtutem.

Ad primum ergo dicendum, quod peccatores quamvis non habeant virtutem in actu, tamen habent in habilitate; & prælati habent etiam in hoc quod sunt ordinati ad ipsam causandam, vel conservandam.

Ad secundum dicendum, quod prælato, dum est in actu peccati, non debet exhiberi dulia: quia apparet in eo aliquid honoris contrarium: sed ante, vel post sibi dulia debet exhiberi: quia nescitur in quo statu sit.

Ad tertium dicendum, quod subdito bono debetur secundum se major reverentia; sed ratione prælationis debetur major malo prælato. Et est triplex ratio. Primo quia prælatus gerit vicem Dei: unde Deus in ipso honoratur. Secundo quia ipse est persona publica, & honoratur in ipso bonitas Ecclesiæ, vel Reipublicæ, quæ est major quam merita unius singularis personæ. Tertio quia prælatio se habet ad virtutem sicut causa efficiens in aliis virtutem; & dignius est alterius virtutis causam existere, in quantum hujusmodi, quam virtuosum esse, ut dicit Philosophus IX. Ethic. cap. viii. vel ix.

Quartum concedimus. Ad quintum dicendum, quod in dæmonibus est ligata aptitudo naturalis ad virtutem: & ideo non debet eis dulia exhiberi.

Ad sextum dicendum, quod similitudo vestigi non ponit aptitudinem ad virtutem, sicut similitudo imaginis: & ideo dulia non debetur ei.

Ad septimum dicendum, quod sanctis non servimus quasi obnoxii eis, sed servitute reverentiæ: quia sunt nostri ductores vel per doctrinam, vel per administrationem, vel per intercessionem, & exemplum: & salvatur in hoc ratio servitutis quantum ad hoc quod est causa alterius agere, sicut finis; non autem sicut moventis per coactionem, vel imperium.

EX-

EXPOSITIO TEXTUS.

IN dilectione, sacrificii exhibitione, & reverentia. Dilectio refertur ad honorem interiore Deo exhibitum; sacrificia ad bona exteriora quæ in ejus honorem assumuntur; reverentia, secundum quod corpus nostrum ei in obsequium damus, sicut in prostrationibus, & hujusmodi.

Una adoratione cum incontaminata carne ejus. Ergo videtur quod Filius sit magis adorandus quam Pater, vel quam ipsemet ante incarnationem. Dicendum, quod humanitas ejus non adoratur latria, nisi prop-

ter Divinitatem; & ideo non facit ipsum magis adorabilem, sed plura in ipso adorari: quia hoc quod additur, ut supra dictum est, non additur ad bonitatem divinam.

Nemo carnem ejus manducat, nisi prius adoret. Loquitur de manducatione spirituali, quæ sine reverentia esse non potest; non autem de sacramentali, quia potest aliquis irreverenter manducare. Vel dicendum, quod loquitur quantum ad id quod debet fieri secundum institutionem Ecclesiæ, quæ prius proponit carnem Christi adorandam quam tribuat manducandam; & non secundum quod abusive potest fieri.

DISTINCTIO X.

An Christus, secundum quod homo, sit persona, vel aliquid.

Solet etiam quæri a quibusdam, utrum Christus, secundum quod homo, sit persona, vel etiam sit aliquid. Ex utraque parte questionis argumenta concurrunt. Quod enim persona sit, his edisserunt rationibus. Si secundum quod homo, aliquid est, vel persona, vel substantia, vel aliud est. Sed aliud non. Ergo vel persona, vel substantia. Sed si substantia est, vel rationalis, vel irrationalis. Sed non est irrationalis substantia. Ergo rationalis. Si vero, secundum quod homo, est rationalis substantia, ergo persona: quia hæc est diffinitio personæ: substantia (1) rationalis individua nature. Si ergo, secundum quod homo, est aliquid, & secundum quod homo persona est. Sed è converso si secundum quod homo persona est, vel tertia in Trinitate persona, vel alia. Sed alia non. Igitur tertia in Trinitate persona. At si, secundum quod homo, persona est tertia in Trinitate, ergo Deus. Propter hæc inconvenientia, & alia, quidam dicunt Christum secundum hominem non esse personam, nec aliquid, nisi forte, secundum sit expressivum unitatis personæ. Secundum, enim multiplicem habet rationem. Aliquando enim exprimit conditionem, vel proprietatem nature divinæ, vel humanæ; aliquando unitatem personæ; aliquando notat habitum; aliquando causam. Cujus rationem distinctionis diligenter lector animadvertat, atque in sinu memoriæ recondat, ne ejus confundatur sensus, cum de Christo sermo occurrat.

Etsi Christus, secundum quod homo, dicatur esse substantia rationalis, non inde tamen sequitur quod persona sit secundum quod homo.

Illud tamen non sequitur quod in argumentatione superiori inductum est, quod si Christus, secundum quod homo, est substantia rationalis, ergo persona; Nam & modo anima Christi est substantia rationalis, non tamen persona: quia non est per se sonans, immo alii rei conjuncta. Illa tamen personæ descriptio non est data pro tribus illis personis.

Alia probatio quod Christus sit persona.

SED adhuc aliter nituntur probare, Christum secundum hominem esse personam: quia Christus, secundum quod homo, prædestinatus est ut sit Filius Dei. Sed illud est, quod ut sit, prædestinatus est. Ergo si prædestinatus est Christus, secundum quod homo, ut sit Filius Dei, & secundum quod homo est Filius Dei. Ad quod dici potest, Christum esse id quod ut sit, prædestinatus est. Est enim prædestinatus ut Filius Dei sit, & ipse est vere Filius Dei; sed secundum hominem prædestinatus est ut sit Filius Dei, quia per gratiam hoc habet secundum hominem; nec tamen secundum hominem est Filius Dei, nisi forte, secundum unitatis personæ sit expressivum; ut sit sensus. Ipse qui homo est, est Filius Dei. Ut autem ipse ens homo sit Filius Dei, per gratiam habet. Sed si causa notetur, falsum est: non enim quo homo est, eo Dei Filius est.

An Christus sit adoptivus filius, secundum quod homo, vel alio modo.

SI vero quæritur, an Christus sit adoptivus filius, secundum quod homo, an alio modo; respondemus, Christum non esse adoptivum filium aliquo modo, sed tantum naturalem: quia natura Filius est, non adoptionis gratia. Non autem sic Filius dicitur natura, ut dicitur Deus natura. Non enim eo Filius est quo Deus: quia proprietate naturæ Filius est, natura Divinitatis Deus est: & tamen dicitur natura, vel nature Filius, quia naturaliter est Filius, eandem scilicet habens naturam quam ille qui genuit. Adoptivus autem Filius non est, quia non prius fuit, & postmodum adoptatus est in Filium; sicut nos dicimur adoptivi filii, quia cum nati fuerimus iræ filii, per gratiam facti sumus filii Dei: Christus vero nunquam fuit non Filius; & ideo non est adoptivus filius.

Alia probatio quod Christus (2) sit adoptivus filius.

SED adhuc opponitur sic. Christus Filius hominis est, id est virginis: aut gratia, aut natura, vel utroque modo. Si vero natura; aut divina, aut humana. Sed divina non. Ergo aut humana natura, aut non.

(1) Nicolai individua rationalis. (2) Forte non sit. Magister testus. Oppositio quod sit adoptivus filius.